

Letter 50: 17 July 1520, Rome, Peter Gebwiler to Capito

The manuscript of this letter is in Ki.Ar. 25a, #52, in the Universitätsbibliothek, Basel.

Die xxviii Iunii a cognato D.V. Federico Prechter literas de obitu praepositi S. Thomae Argentiniensis tum primum recepi; lectis ilico reverendissimum D. Cardinalem Sanctorum quattuor ac D. Paulum Bombasium admonui de novo eciam rebus consulant, quod et tunc per pontificem factum est. Miratur autem imprimis D. Paulus et ego nil penitus literarum allatum quo  
5 intelligeremus D.V. possessorem. Nam breve missum est per Fuckaros circa principium mensis Maii, quamvis Prechter scripserit se nondum recepisse, tamen impossibile quin non post obitum ad paucos dies habuerit; possessorem D.V. non hesitamus; quod si opinio tam mea quam D. Pauli nos non fefellerit non parvam vim adimeret ipsis adversariis, qui intellecta morte praepositi nihilominus pro sententia institerunt quam etiam pro se obtinuerunt ac literas exequutoriales  
10 extorquent, quas citissime Argentinam transmittent, ut exequutioni demandent contra possessores; ubi nullos repererint, cum eisdem literis ipsi possessionem aucupentur. Curabit autem D.V. postquam similes literae aut etiam quaecumque alia fulgura insinuatae seu intimatae fuerint sibi tanquam possessori, non terreri aut expavescere. Non feriet semper quodcumque minabitur arcus, imo ab huiusmodi intimatione ad S.D.H. provocet et appellet coram notario et  
15 testibus, eandemque appellationem nobis transmittat; constituat tamen decenter suos procuratores in urbe, similiter si non Argentinae fueritis, procuratores fidatos in negotiis praesertim illic constituatis, quod a D.V. iamdudum antea factum arbitror, saltem qui possessionem nomine D.V. apprehenderent.

20 Doctor Eckius accingit se itineri omnino patriam repetendi. S.D.H., ut aiunt, hesterno vesperi eidem dono dedit quingentos auri ducatos; plura sunt edita contra Lutherum et eius adherentes sed nedum publicitus circumferuntur.

Bene valete et me, ut soletis, amate. Datum Romae xvii MDXX. Vester P. Gebwiler.